

tantummodò per expressiorem conceptum, ex quo necesse est inferre *esse*, & *tale esse* in calore non differre, nisi penes expressiores conceptus.

Ex quo patet responsio ad confirmationem; Effectus particularis debet reduci ad causam particularem, vniuersalis ad vniuersalem; Vniuersalis quidem per prædicationem ad vniuersalem per prædicationem concedo; at vniuersalis per prædicationem ad vniuersalem per causationem nego; itaque *esse* in calore producto A. reducitur ad esse suæ causæ B. & *tale esse* in calore A. reducitur ad tale esse suæ causæ B. vt enim dixi, omnis causa secunda habet *esse*, & *tale esse*, ergo producit effectum, qui habet & *esse*, & *tale esse*.

Ad decimam.

Ad decimam: Transeat minus esse conferuari, quam produci, sed est minus in diuerso genere: quando verò dicitur, *qui potest maius, potest & minus*, concedendum est in eodem genere. Aut dic potius non esse rectam illationem hanc à potentia ad actum, Deus conseruat creaturas, ergo eas producere potest; concedo enim hoc; sed cum dicis, ergo eas producit, nego; cum enim Deus sit agens liberrimum ad extra facit, quod vult, quòdque est magis decens, & conforme rationi, videtur autem maximè decens & rationi consentaneum, quòd permittat causas secundas agere se solis, quandoquidem Deus ad hoc dedit illis vim, & potentiam, dona enim Dei sunt sine penitentia, datque illa non diminutè, sed completè, ergo quandoquidem dedit causis secundis agere, dedit quoque se solis agere, & in hoc etiam magis apparet magnificentia, bonitasque diuina: ne tamen aliquod ens videatur subterfugere imperium diuinum, Deique manentiam, voluit vt nullum ens, in quantum induit rationem boni, perseveraret sine sua conseruatione.

Respondeo secundo retorquendo argumentum: Si esset vera illa ratio, quæ est Arimenesis, sic ex ea arguerem; Qui facit maius, facit & minus: Sed causa secunda concurret immediatè ad productionem effectus, ergo debet concurrere immediatè ad eius conseruationem: attamen videmus ordinariè contrarium, imò videtur esse quadam imperfectio in effectu, quòd dependeat in conseruari à sua causa, vt patet in speciebus intentionalibus, quæ propter suam imperfectiorem, & esse diminutum dependent non modò in produci, sed etiam in conseruari à suis causis, seu obiectis secundum eos, qui prædictas admittunt species.

Ad undecimam.

Ad undecimam negabitur Deum conseruare actum malum; nam dum conseruat voluntas actum v. g. odij, censetur semper illum producere, quamdiu illum conseruat, proindeque sicut Deus non concurret immediatè ad eius primam productionem, ita nec ad continuationem illius productionis; actus enim malus totus est malus, quia malitia, seu deformitas dilatatur, imbibitur, incorporaturque, vt ita loquar, per totam entitatem Physicam, ipsamque inficit. Deinde posito etiam quòd actus peccati sit quid aliud ab eius deformitate, erit disparitas inter eius productionem, eiusque conseruationem, ideò enim dicam Deum non posse illum producere, quia inseparabiliter comproducit malitia, & de.

formitas, & proinde imputaretur Deo productioni illius deformitatis. At eam conseruabit, quia iam illa malitia est in rerum natura, nec Deus est causa illius: sicut v. g. si mulier suo vitio pariat monstrum, erit in culpa, at verò si nutritrix nutriat illud monstrum, quia ex pacto tenetur nutrire fetus suæ dominæ, non erit in culpa, ergo etiam si Deus conseruet entitatem Physicam deformitate infectam, non erit in culpa; videretur autem esse in culpa, si eam produceret, quia concomitanter malitiam videretur producere, quòd verò concomitanter, aut consequenter eam conseruet, hoc nihil facit, quia illa malitia est iam malitia, nec est causa illius.

Ad duodecimam dic primariam intentionem illius articuli, *factorem calis, & terre, visibulum omnium, & inuisibulum esse*, vt omnia sint primordialiter à Deo creata, non verò ab aliquo alio principio, vt volebant Manichæi duo principia rerum assignantes, nec etiam ab aliqua intelligentia, vt voluit Auicenna existimans mundum esse creatum ab vltima intelligentia, & quòd Deus solum creauerit primam; prima verò secundam, & c. vltimamque mundum, quæ omnia sunt falsa, & contra fidem: hoc verò non impedit, quin postea causa particulares immediatè se solis producant suos effectus, quos tamen producant independentè à Deo, quia conseruantur ab eo, habentque ab eo suam virtutem, hoc est, quòd sint talis, vel talis virtutis, v. g. quòd tale, & tale medicamentum, talis, & talis herba talem, & talem habeat virtutem operandi, & in vniuersum, quòd causa secunda sit talis, vel talis virtutis hoc habetur à Deo, qui ordinem vniuersi instituit. Vnde quòd ignis calefaciat, hoc habet à Deo, & ex hoc capite rectè dicitur Deum concurrere ad calefactionem, non tamen immediatè influendo in illam, sed quia facit, vt ignis sit virtutis calefactiue, vtque calefaciat: exemplum verò de terra non valet, terra enim non dat talem virtutem herbæ; sed à Deo naturæ specificæ, & per consequens omnibus eius indiuiduis concessa est, non verò à terra.

Ad confirmationem concedo omne bonum supernaturale esse à Deo immediatè, at nego omne bonum naturale, quòdque conuertitur cum ente, esse immediatè à Deo, sed tantum præsuppositiue, aut in quantum Deus voluit omne ens habere rationem boni, vnde causa secunda producens aliquid ens, consequenter producit aliquid bonum naturale.

Ad decimam tertiam dic ad maiorem illas particulas, *non habet operari à se*, dupliciter posse intelligi; primo, ita vt non habeat virtutem, seu vim operandi à se, & in hoc sensu est vera illa maior. Secundo, ita vt non possit elicere actum suum se solà, & in hoc sensu nego, id est causa creata habet à Deo vim, & facultatem operandi, dando autem virtutem causæ, ipsi quoque Deus concessit vsum: vnde hoc modo tantum Deus mediatè concurret ad actiones causarum secundarum.

Ad decimam quartam nega maiorem; non enim ob id dicitur esse aliquid immediatè à Deo ex eo quòd immediatè cognoscatur à Deo; sed ex eo quòd Deus aliquid producendo ad extra inuauat

Ad duodecimam.

Ad decimam tertiam.

Ad decimam quartam.